UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Avrelii Avgvstini Hipponensis Episcopi Et S. R. E. Doctoris Vita

Lancilottus, Corneille

Antverpiæ, 1616

Cap. LV. Grauitas D. Augustini religiosa, morumque decentia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42857

Visual Library

resiliens, vas fieret electionis, ornatum omni lapide pretioso, quò inter cælestis Regis cimelia demum locaretur.

CAPVT LV.

Grauitas D. Augustini religiosa, morumq; decentia.

EX hoc virtutum omnium concentu, relucebat in eius vultu totoque corporis habitu, perinsignis quidam decor ac morum grauitas cum amore coniuncta, eademque mortalibus omnibus ad imitandum maximè idonea. Quemadmodum enim ex bono hominis temperamento, & aptâ colorum proportione, mox aperit se in humanâ facie quædam venustas, quæ maximè nata est hominum intuentium ad se pellicere voluntates; sic ex concinnâ facultatum animi temperie, prodit in omni vsu atque congressu suauis quædam modestia, quæ sui spectatores plurimùm ad se æmulandum inuitare solet. Hęc eadem est, quam D. Apostolus Paulus nobis egregiè commendat, quamque vel maxime cunctis hominibus vult innotescere. Hanc ipsam decentis modestiæ virtutem in omni vitâ sic expressit D. Augustinus, vt non hominem, sed Angelum, veræque perfectionis absolutum exemplar videre putares: quâ demum

Exterior hominis modestia, interioris animi index.

Coloss. 3.

demum virtute, quantopere ciuium suorum in se prouocarit affectum, facilè cuiuis existimare licet. Eamdem vt sui æmularentur in legibus monasticis per hæc verba mandat: *Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus Quando proceditis, simul ambulate; cùm veneritis quò itis, simul state. In incessu, statu, & in omnibus motibus vestris nihil fiat quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatē.* Ac huiusce quidem præcepti ratio manifesta est: nam ex compositione hominis externâ, mentis plerumque affectionem coniicimus: non aliter quàm ex horarum indice, ac æris campani sono, bonam totius horologij concinnationem intelligimus.

Cap. 18. & 19. suæ Regulæ.

Pulcra similitudo.

CAPVT LVI.

Episcopatus grauissimum onus in Eradium reclinat, vt scripta recognoscat, séque ad exitum paret.

Ser. 49. De diuersis. Aetat. Christi an. 426.

CVM autem negotiorum ingenti & assiduâ mole, tum etiam multo studio, & perasperis in domando corpore exercitiis, ætate iam inclinatâ sibi deesset; animarum zelo incensus (quod vtinam ij faciant quorum in hoc par est ratio) adlegit Eradium Presbyterum in Episcopali functione sibi